

commentis quibusdam deformasse conf. Buddei Hist. Eccl. Tom. II. p. m. 795. Omnia, quae in graeco Daniele leguntur, nec in hebraeo exhibentur, sunt ex Theodotionis translatione, quæ circa primos Commodi Imperatoris annos comparuit. Theodotio vero ex sententia Hieronymi erat Ebionita, & teste Irenæo profelytus ex Judæis, ad quorum religionem tandem quoq; rediit. Ebionitae multas fabulas a Judæis receperunt, aliasq; ipsi finxerunt, inde verisimile est, Theodotionem fabulis deditum Susannae, Beli, & Draconis fabulas ex Judaismo ad Christianismum transtulisse. Nobis ergo male vertendum non est, si ex canone divino rejiciamus, quae solius Theodotionis Ebionitae & tandem recutiti autoritate leguntur, licet ecclesiae membris non ut fundamentum, sed ut adjumentum fidei & vitae adhibito discretionis iudicio legi permittantur.

§. 13.

Traduntur quoq; Habakuki vaticinia in Epiphanii libro de vitis prophetarum, N. XVIII. p. m. 247. in vita ejus, quae merito fabulis accensentur. Refertur ibi, Habakukum devastata Hierosolyma, ex Ismaelitarum regione, in quam tempore devastationis confugerat, in patriam rediisse, & sequentia vaticinatum. *Vado inquit in longinquam regionem, unde celeriter revertar. Verum tamen si moram illic fecero, vos ad messorum cibaria portate. Secundum hac Babylonem translatus, cum Danieli in leonum cavea prandium obtulisset, ex templo reversus, vescentibus messoribus interfuit; neq; cuiquam, quod acciderat, significavit. Caterum illud idem propheta cognovit: brevi populum e Babylonia in Judaeam esse rediturum. Quin & signi loco portentum iis, qui Judaeam incolebant, denunciavit: visuros illos aliquando lucem ingentem,*
quae